





Q V A E S T I O N E S 2199

EX

V A R I O I V R E 1780, 20.

---

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

CHRISTOPHORO FRIDERICO  
WOLLE

LEGVM AC PHILOSOPHIAE DOCTORE CONSISTORII  
LIPSIENSIS ELECTORALIS ADSESSORE  
CIVITATIS SENATORE,

DIE VII. NOVEMBRIS MDCCLXXX

H. L. C.

D E F E N D E T

FRIDERICVS GOTTLOB STEYER

KITZSCHERA-MISNICVS

I V R I V M C V L T O R

---

L I P S I A E

EX OFFICINA HERED. LANGENHEM. ET KLAUBERTHI

Q V A E S T I O N E S

IX

V A R I O R U M

IN VESTIGANDIS ANTIQVITATIBUS

D. A. WOLFENBÜTTEL  
CHRISTOPHORO WOLFF

WOLFF

LEGM AC BRITANNICAE REGIAE CONSISTORII  
PUBLICI REGII ET REGINAE AULICORUM  
CENSURAE SEPARATAE

DIE VII NOVEMBRIS MDCCCLXX

H. L. C.

D R E S D E N

FRIDERIGI GOTTLOB STEVER

EDITORE

IVRIVM CIVITON

1788  
LXVIII

IN OFFICINA HIERON. SANDERII ET FRIEDRICHII



V I R O

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

**D. ANDREAE WAGNERO**

SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS INTIMO CAMERAE CONSI-  
LIARIO, DEPVATORVM AD RES OECONOMICAS ET MERCATV-  
RAE SOCIO VIRO DE REPVBLICA EGREGIE MERITO  
PATRONO INDVLGENTISSIMO

S A C R V M.

V I O

BERNARDINI ATQUE EXCELLENTISSIMO

D. ANDREAE WAGNERO

RECTORI ACADEMIAE THEOLOGICAE SIVE UNIVERSITATIS

ALBAE, DIGNISSIMO DOMINI HONORIS ET MERITO

HAEC SOCIO VINO DE TERTIA SORBIA MISTO

TANTO INDEBITO

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*





# QVAESTIONES

EX


VARIO IVRE

---

**R**ident sane omnes ac recte rident Epicuraeorum Deos, quod scientiae isti suae pondere oppressi felicitatisque suae somniis confopiti, ab omni viuerent negotiorum turbine omnique rerum humanarum ac salutis humanae cura alieni. Quibus egregiis sane Diis, quam laetis veterum praestantissimis haud scio an similiores adpareant multi hodie Ictorum, ore quidem Iurisprudentiae elegantiores flatores praeconesque, sed re ipsa oppressores detractoresque grauissimi, qui ita multitudine cognoscendarum rerum distracti viuunt, ita etiam vna ac sola scientia delectantur, nihil ex ea vt nec possint nec velint ad vsum communem fructumque fori proferre. Quod spretis isti fordidis compendiorum riuulis in ipsum limpidiissimum

A 3

legum



legum fontem sese immergant, totum antiquitatum iter emetiantur, omnes historiae copias colligant, omniaque omnino quae ad implicatissimos legum nodos soluendos faciunt, diligenter tractent, quis est praeter ipsos qui laudandum censeat, si forensis usus incuriosi sibi modo faciant omnia, proptereaque cognoscant omnia, ut in sinu modo ipsi hac sua doctrina gaudeant? Certe veteres ICrī, quorum isti libros versant diurna versant nocturna manu ac recte versant, ingenii causis ipsis tractandis exercendi occasionem avidissime quaerentes, mane iam adesse consulentibus, ignaris calcandam in foro viam monstrare, irritos calumniae laqueis expedire, aut iniusta iam vi prostratos erigere maximae sibi gloriae ducebant. Ac profecto a quouis probabili suaeque aetati vivente ICto per omnes quidem litterarum imprimisque Iurisprudētiaē regiones circumferendi oculi, sed animus est in foro figendus, ibi omnis doctrina producenda, non ad fictas domi sed ad propositas ibi a partibus species accommodandae leges, inauditaeque etiam ac incogitatae species inde deportandae. Quare et nos in quibuscunque his quaestiunculis, quibus, ne forte solae relictae timeant, subinde comites adiungemus plures, consilium sequemur, quantum feret virium imbecillitas, hoc, ut indicemus potissimum legum quarundam usum hodiernum opinionumque quarundam in foro constantiam, interdum tantum quasdam Iurisprudētiaē a fori limine seclusae plane particulas adiecturi.

QVAESTIO I.



## Q V A E S T I O I.

*Copulatio pertinet ad parochum domicilii sponsae.*

*Titia* per longam temporis spatium mortuo patre manserat in conuictu matris vno in loco, variis etiam in locis operas elocarat suas; deinceps tandem stuprata a quodam abite alium in locum ad auiam, domumque ibi emit, ac per annum ibi commorata nuptias celebrat, copulationem suscipiente parochio domicilii sui, idque ex opinione Consistorii Lipsiensis, quod ad parochiam domicilii fixi sponsae adstrictam esse censet copulationem iure omnino suo. Sed opponit sese parochus matris, lisque, re ad Serenissimum Principem relata, etiamnum feruet. Ac nititur quidem iste rationibus fere his: Filias, nisi nubant, manere quam diu vivant parentes, perpetuo patriae potestatis vinculo implicatas, adeoque et foro paterno subiectas, ne elocandis quidem operis paterno foro subtrahi eas, praeterea in patris sede educatam fuisse Titiam hanc, ac per longissimum ibi temporis spatium habitasse, contra ea per annum modo apud auiam, ad quam habitationis diuturnitatem nisi respiciatur, si qui forte promissionis cuiusdam prioris vinculo iam obligatam teneant personam, facile illos iure suo excidere posse, immo vero ipsorum parentum in interponendo consensu auctoritatem, domicilii modo sponsae in copulando ratione habita nutare, omninoque incertum fluctuare hoc modo parochorum ius tunc, si pluribus vtatur femina domiciliis. At salua res est. Titia non elocaris operis sed patris obitu soluta vinculis patriae potestatis, qualis potestas omnino ad fori instantiam seruandam apta non restat in matre, illa igitur mutato domicilio (quod sine comitatu patris eo viuo haud mutabunt filiae in nuptae nulla separata oeconomia instituta) praeterea que emta alibi domo ciuitatisque adeo ibi iuribus adquisitis, mutat etiam pristinum suum scilicet patris forum. Copulatione autem in loco domicilii, quamuis per breue modo tempus ibi vixerit persona,

susci-

suscipienda, cum proclamatio omnino illis in locis, ubi quis quam diutissime vixit sit peragenda, nullum damnum iis, si qui forte ex anteriori quadam promissione sponsae fortius aliquod sibi ius tribuunt, nullum parentum auctoritati metuendum, quippe quorum consensu haud demonstrato, copulationem omnes abnuent parochi. Ac si qua forte femina vario tempore variis in locis commoretur fixumque quoddam domicilium habeat, recte profecto pendebit ex ipsius voluntate, ubi velit copulari, neque vnde parochi ulli conquerendi ius quoddam competat, intelligo. Ex quibus, frustra parochum istum ac sine ratione exigere copulationis commodum, firmamque sustineri totam Consistorii Lipsiensis opinionem ex ipsius Iuris Canonici ratione nam, parochiae domicilii sponsae, modo ne ea pravo cum sponso iam cohabitandi consilio istud mutauerit, inhaerere copulationis ius, facile adparet.

#### QVAESTIO II.

*Num Expensae litis a marito, cum quo vxor nullas opes possidens litigat, sint praestandae?*

Quod maritus, cum quo vxor propria bona possidens litigat, ex vxoris opibus litis teneatur praestare expensas, ad commodata ad hanc speciem *Decisionis Nouissimae tricesimae sextae* ratione, recte pronunciauit, quamvis dissentiente Lysero ad *Digesta, Curia Suprema Lipsiensis anno 1776.* approbante sententiam hanc singulari rescripto, quod laudat *HOMMELIUS* Vir Summus in *Obseruat. 679.* Quid? Quod praenumerandam esse a marito ex facultatibus feminae pecuniam ad suscipiendam litem necessariam non sine ratione iudicauit *Facultas Iuridica Lipsiensis.* Nisi enim hoc sumtuum praestandorum onus subiret maritus, ab omnibus vel iustissimis litibus cum ipso agitandis, quarum tamen pro! dolor in nulla alia quam matrimonii societate tam facile crescit feget tamque laete floret, arceretur plane mulier diues, vti, nisi statim superpeteret pecunia, cum multis certe ac variis impedimentis colluctandum esset ipsi, ipseque processus cursus sisteretur. Cui oneri ne tunc quidem se subducere poterit maritus, id quod multi haec certe


certe in specie, vti ex actis vidi, conantur, si ipse a muliere petat aut contra ipsam agat maritus, cum ex qua parte pugnet iustitia ex qua iniustitia finita tandem lite intelligatur. Sed num etiam maritus licis, qua cum vxore implicatus tenetur, expensas ex propriis opibus praestare teneatur tunc, si nullas possideat vxor, quae est opinio S. R. HOMMELII, ad alimentorum rationem omnem expensarum soluendarum necessitatem referentis, forte dubitari possit. Durum enim profecto videtur adigere maritum, vt suis opibus quasi arma vxori, quibus se iugulet, subministrat, immo vero vt quamuis sententia absolutoria suam demonstrare possit innocentiam, temeritatem tamen vxoris in lite suscipienda commissam soluendis pro ea sumptibus luat. Atque cum omnibus opibus destituta mulier iureiurando praestito facile nanciscatur pauperum iura, neque adeo opum penuria a lite sequenda plane retineatur talis mulier, non eadem plane harum expensarum, quae alimentorum ratio hic cernitur. Ipsius Decisionis nouissimae ratio soluere videtur maritum hoc onere, quippe quae in criminibus sumptuum ex propriis mariti facultatibus ferendorum necessitatem ad solam defensionem alimentationemque restringit. Quare cum nuper, compensatis in sententia expensis actor feminae, quae esset iureiurando praestito pauperum iura nacta, peteret finita lite ab ipso marito expensas a femina debitas, partim, quod comperisset, intulisse vere dotem feminam ac bona possidere, quae tamen oratio veritati ac iuriurando aduersabatur, partim quod sibi videretur adcommoanda hic esse *Decisio 36.* sumptuum ex propriis etiam bonis soluendorum necessitatem iniungens marito, sic pronunciauit recte Consistorium Lipsiense:

*Dasß der Klägerin Actoris Suchen, da demselben nicht nur res iudicata, sondern auch die Vorschrift der von ihm angezogenen XXXVIsten neuesten Decisio vielmehr entgegen steht, nicht statt hat. Er ist auch, die hierdurch verursachten Unkosten Beklagten zu erstatten schuldig.*

Contra quam sententiam adpellatione ad Serenissimum Principem interposita, repellebatur actor.

B

QVAESTIO



## QVAESTIO III.

*De curatoris status patris consensu in nuptiis.*

Cum obedientia parentibus praestanda inprimis gratus liberorum pro educationis molestiis cernatur animus, parentum porro omnino interfit, quos nacturi sint aliquando pecuniae familiarum suae heredes, inprimis autem eorum auctoritas prudentiaeque quam facillime mitigare feruorem iuuenilem, liberorumque in vitae socio eligendo consilium quam saluberrime dirigere possit, ut parentum in nuptiis consensus requiratur, et naturalis ratio suadet, et leges naturae vestigia sequentes fere omnes sanxerunt. Apud Romanos, ex quorum institutis omnis huius praecepti vel haec potissimum ratio accedebat, quod paullulum rigidiori subessent liberi patris imperio, totosque se ad eius vultum nutumque componere deberent, sed apud illos exclusa matre solus patris consensus exigebatur, partim quod et ipsa mulier maritali imperio subiecta teneretur, partim forte, quod omnino maiorem fiduciam maioremque salutis liberorum diligenter curandae spem in constanti patris animo, quam in muliebri leuitate ponerent Romani. Sed si neglecta pater naturae voce nulla causa suadente liberos uxores ducere ac nubere prohiberet, in praetoris apud illos imperio perfugium iam aperuerat liberis lex *Julia et Papia*, concessa praetori parentis cogendi potestate, vid. HEINECCIUS in *Comment.* p. 66. GE. LVD. BOEHMER *de necessario parentum consensu in nuptiis liberorum.* Quo iure et nos vrimur, nisi quod ex nostris legibus, communicata cum matre hac potestate, in sponfalibus ineundis patris et matris consensus simul sit interponendus. Sed si tamen inter patrem matremque certeretur, ne nos quidem recedimus a iuris Romani vestigiis, sed patris tanquam familiae principis consensu et nunc primas deferimus. Quid autem valeat, si furor labore pater quaestio potest incidere. VLPPIANVS l. 9. D. *de rit. nupt.* Si nepos, inquit, uxorem velit ducere auo furente, omni modo patris auctoritas erit necessaria, sed si pater furit, auus sapiat, sufficit aui voluntas. IVSTINIANVS autem, l. 28. C. *de episcopali audientia* ait: *Tam dementis quam furiosi liberi cuiuscunque sexus legitimas possunt contrahere nuptias, tam dote quam ante nuptias donatione a curatore eorum*


rum

*rum praestanda.* Ex quarum legum praecepto vel hodie res deciderenda videtur. Quodsi patre furore laborante adeoque ciuilitur quasi mortuo auus uiuat, haud dubie huius et hodie requirendus consensus, quippe qui post naturalem patris mortem omnino requiritur, post aui autem obitum vna cum matris curatoris etiam status patris auctoritas adhibenda. Vna superest quaestio in pugna matris cum hoc curatore quoad liberorum nuptias, cuius scilicet consensus praestet, curatoris, patris personam gerentis, an matris consensus? Quanquam autem patris plane locum obtinet curator status, negotioque huic nomine patris interest, tamen cum omnis consensus parentum in liberorum nuptiis causa naturali quadam liberorum erga parentes ratione, ac sanguinis quodammodo vinculo nitatur, omninoque matrem, quam alienum hominem ardentius liberorum saluti esse prospicendam praefundendum, in tali pugna neglecto curatoris status disensu, matris consensum sufficere, ac si species talis occurrat, sic esse iudicandum, adparet.

#### QVAESTIO IV.

*Quid circa absentium curam Iure Saxonico recentissimo obtineat, quam planissime exponitur.*

Cum nimis longa hominum absentia, protrahendoque nimis eorum in patriam reditu multa ac varia in ipsos non modo eorum cognatos, verum et in totam rempublicam redundare soleant incommoda, quippe in incertis rerum dominiis, incertaque bonorum administrandorum facultate non potest non litium quotidie multitudo crescere, quamuis Iure communi nihil hac de re certi dispositum reperiatur, variae tamen leges variis in locis huic malo occurrere, terminum mox longiorem mox breuiorem praefigendo, quo elapso debitum naturae exsoluisse absentes iudicarentur, proximisque eorum cognatis bonorum dominium concederetur cf. IOH. ADAMI THEOPH. KINDII V. C. *dissertatio elegantissima de successione in bona absentium.* In Saxonia non tam diserta lege quam obseruantia huc vsque res tota regebatur. Opinione scilicet dicasteriorum, quae ipsorum Bibliorum sacrorum auctoritatem sequerentur, sic ferente, annus septuagesimus



completus terminus ac finis absentium vitae iactabatur. Sed in adiudicandis absentium bonis fluctuabant inter se dicasteria, aliis primum venienti satis legitimo hereditatem esse concedendam, quippe quod rei vindicatio ac hereditatis petitio esset perpetua, adeoque ne edictalibus quidem proximioribus heredibus ius suum eripi posset, aliis contra conuocatione proximorum cognatorum per edictales opus esse statuentibus. Neque minus disceptabatur de termino constituendo, si quis tandem elapso septuagesimo anno abisset, quamuis plerique in centesimum tunc annum conspicerent. In hac dicasteriorum pugna obseruantiaeque inconstantia optabat quisque certam quandam ac indubitatam in Saxonia normam, ad quam se in causis absentium iudicandis componeret. Cui nunc voto satisfecit **SERENISSIMVS SAXONIAE ELECTOR** emissio speciali de cura absentium mandato d. 13 Nov. 1779. Quod cum speciali rescripto ad Scabinatum ac Senatuum Lipsiensem d. 21. Sept. 1780. misso illustrare insuper placuerit principis clementiae, ac quotidie contra illud etiamnum peccari a iudicibus ex Nouellis publicis intelligamus, perpaucis regulis positis, de Iure Saxonico hodierno quoad absentium curam age iam quam planissime (nullam enim aliam laudem affectare hic possumus,) exponamus. Cui consilio vt satisfaciamus, de iis qui imposterum sunt abituri, et qui publicato mandato iam aberant separatim videamus. Quod igitur ad priores attinet, si qui imposterum sunt abituri, neque intra viginti annorum spatium magistratui vbi commorati sunt antea, bonaque reliquere, aut cognatis suis vllum vitae ac loci vbi degerent, dederunt iudicium, sic vt num viuant, ac vbi, plane ignoretur, si igitur breviori quam olim termino, anno scilicet vigesimo elapso computando illo, aut inde a die, quo vltimus ab illis nuntius venit, aut nullo accepto nuncio, inde a die quo abierant aut desiderati fuere, habentur pro mortuis. A qua regula in his absentibus seruanda duae proditae exceptiones, quarum prima haec est: si qui post annum quinquagesimum, (modo ne compleuerint sexagesimum quintum annum cum abire) sunt abituri, in his non opus est integrum vicennium exspectare, sed statim, cum septuagesimum attigerunt annum pro mortuis hi iudicandi. Altera autem haec: si qui sunt post

post sexagesimum quintum annum quocunque illum sequente anno peregre profecturi, his adhuc quinquennii spatium concedendum, computandum illud inde ab eorum abitu, quo tandem spatio confecto et hi obiisse censendi, in qua vna specie ultra septuagesimum annum ciuillis terminus vitae, ne nimia mortis termino celeritate opprimantur tales homines, ex legis auctoritate extenditur. Sed ex iis, qui publicato iam mandato aberant, vt ad hos iam progrediamur, ne et ex his quidam mature nimis ciuillis huius mortis acerbitatem sentirent, sapienter cautum est, vt in his post quinquennium tandem mandati se exfereret vis, iisque qui ultra quindecim annos, adeoque et qui per viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta sexaginta et sic porro annos vere abessent, modo ne iam plane completus sit interim septuagesimus annus, (nam illi iam habentur et nunc adhuc hoc anno elapso ex pristino more pro mortuis) his igitur quinquennii adhuc spatium indulgeretur, quo tandem praeterito et ipsi mortui existimarentur, in quibus similiter interdum ultra septuagesimum annum pertinere posse vitae terminum, intelligitur. Pro varietate igitur temporis absentiae, quo curanda reipublicae salute nulla vis fieret priuatorum commodis, diuersus vitae ciuillis finis huius mandati auctoritate constitutus reperitur, quo elapso proximis cognatis adiudicantur bona, secundum *Mandatum de citatione edictali in causis ciuilibus d. 13. Nov. 1779.* edictales, indulgentes triplicem terminum Saxonicum complectentesque terminum publicationis sententiae sub iactura beneficii restitutionis in integrum ac poena praecclusi emittuntur, affigunturque in duobus diuersis territoriis, absentis negotiis maxime implicatis, ac tribus ciuitatibus *des engern und weitem Ausschusses*, terminique per nouellas indicantur, ac postquam sententia praecclusua, cuius termino priore circumducto nouus eodem modo per edictales praesigendus, vires rei iudicatae nacta est, qui non comparuit, repellitur deinceps, nisi inde a publicata sententia intra annum contumaciam excusare, aut intra idem spatium beneficii restitutionis in integrum praesidio se munire possit. Sed anno hoc praeterito omnibus omnium exceptionum beneficiorumque latebrae oclusae manent.

## QVAESTIO V.

*Vniuersitates neglectis fatalibus etiam aduersus ecclesias in integrum restituantur.*

De priuilegijs multi sane multa scripserunt, inter quos eminentissimus GEBAVERVS in *singularibus de priuilegijs*, ac nuper doctissimus LYSERI Commentator HARTLEBEN ad specimen LYSERI *de priuilegijs*. De isto etiam, quod nostram quaestionem propius attingit Iuris Brocardico: *Priuilegiatus contra aequae priuilegiatum iure suo non utitur*, fuerunt praeter generaliores scriptores, qui separatim acute exponerent, inter quos primo loco nominandus eruditissimus HOMMELIVS in *Rhaph. Obs. 62r.* ac WIENZKIVS singulari in dissertatione, qui tamen multis ab hac regula exceptionibus fingendis ipsius iustitiam impugnare videtur, quamuis ea vel sine tot exceptionum praesidio possit defendi. In hac scilicet verissima ipsiusque rationis fundamentis constituta regula ad alias ipsi haud subiectas species extendenda, obliiti vocis *aeque*, peccarunt modo ICI multi, peccantque hodie. Cum duo in vna causa modo plane aequali eodem tempore principis clementia priuilegio quodam ornati laetantur, quis dubitare possit, quin neuter alterum in sui priuilegii exercitio, finibusque eius ex principis voluntate regundis turbare possit? veluti cum princeps Caio et Titio eodem tempore ac modo monopolium mercis cuiusdam concefferit, aut cum minor minori pecuniam, quae in accipientis vilitatem haud sit versa, crediderit, in qua posteriori specie communis huius vtrisque beneficii, quo omnes minores laesi in integrum restituantur, vis sese exserit. Sed falso clamant multi istam regulam alienis plane in speciebus, quotidieque istam fabulam repetunt in actis iudicialibus causarum patroni. Ad tres autem fere species istius regulae *Priuilegiatus contra aequae priuilegiatum iure suo non utitur*, falso extenfae exempla, ab HCMMELIO egregie citato loco commemorata, commode possunt, quo res planius intelligatur, referri. Primo, vbi nullum plane ex altera parte cernitur priuilegium, sed modo aequali conditione personae concurrunt, quo iure potest iactari illa regula? Ecclesia quidem non triginta sed quadraginta annis aduersus

sus



fus ipsam etiam ecclesiam praescribit, quoniam praescribenti ecclesiae nullum privilegium concessum. Filiusfamilias creditor filiofamilias debitori, Solum Macedonianum opponenti, non potest hac regula occurrere, cum ad debitorem modo istius Sui beneficium pertineat. Minor qui ad supremum a minore tribunal trahitur, non potest illud iudicium reculare. Vnde enim ipsi privilegium, ne trahatur?

Secundo cessat ista regula, si quidem ex vtraque parte adsunt privilegia, sed plane dissimilia, vbi non ex ea res est metiunda, sed potius dispiciendum, quodnam privilegium sit fortius, totiusque reipublicae salutis convenientius. Veluti si filiusfamilias maior a minore sit pecuniam mutuatus, plus fauetur minori. At vbi hic adsunt duo *aeque* Privilegiati? Tandem frustra illa regula iactatur tunc, vbi idem quidem adest privilegium, sed non simul exercendum, quae est huius quaestionis species de qua nunc disceptamus, cum scilicet vniuersitas restitutionem in integrum petit ob neglecta fatalia contra ecclesiam. Propterea ad eam frustra hic provocari a causarum patronis putat HOMMELIVS, quoniam non sit contraria talis restitutio alterius privilegio, neque impediatur quo minus et altera pars neglecto fatali in integrum restituatur. Quae vt sint verissima, tamen si verum quaeramus, ne duo quidem ad sunt hic simul ac vno eodemque tempore privilegiati. Nam dum vniuersitas petit in integrum restitutionem, in huius beneficii societatem haud admitti hoc tempore cupit ecclesia, adeoque in sui exercitii privilegio haud turbari hoc tempore potest, nec turbatur vere. Ob quam grauissimam causam vti saepe, ita et nuper admodum, cum vniuersitas quaedam neglectis fatalibus restitutionem peteret aduersus ecclesiam, opponereturque aequalis privilegii beneficium, ac brocardici illius auctoritas, aditum ad probationem seruauit vniuersitati, adiudicatis tamen merito ipsi, quamuis absoluae, expensis, Consistorium Lipsiense:

*Dass die angebrachte Ungehorsams - Beschuldigung noch zur Zeit nicht statt hat. Es sind aber Beklagte mit dem ihnen nachgelassenem Beweise bey Verlust des beneficii restitutionis in integrum einzukommen, sowohl die disfalls verursachten Unkosten Klägern zu erstatten schuldig.*

QVAE-

## QVAESTIO VI.

*De emtore familiae pecuniae nonnulla.*

Inter testamenta veterum Romanorum commemorari etiam testamentum per aes et libram, ob molestissimam in comitiis testandi rationem, concedente lege decemvirali patribusfamilias summam de rebus suis disponendi licentiam, a Ictis ita tanquam actum inter viuos introductum constitutumue, vt ne isti regulae, leges de successione non nisi noua lege tolli posse, aduersarentur, testatoresque adeo hac vtentes testandi ratione, interueniente ante statione mancipatione ac testamenti nuncupatione aut scriptione praesentibus quinque testibus ac libripende ad hereditatis emtores transtulisse bona sua, reseruato sibi ad dies vitae vsufructu, vel dupondiiis notum est. Sed quaesuerunt per huius testamenti occasionem viri docti, num quem morem posteriori tempore obtinuisse, ex §. 10. 1. de testamentis ordinandis, Suetonio in Nerone cap. 4, Plutarcho de ser. num. vind. cap. 6. elucet, initio quoque statim familiae emtor ac heres diuersae fuerint personae an eadem? Vtraque opinio egregios naeta est patronos. Quod statim fuerint diuersae personae, defendit Huberus Digress. Inst. p. 383. Trekel de origine testamenti factionis p. 132. ac nuper Meermannus de rebus mancipi p. 131. Contrariam autem opinionem, initio non diuersum fuisse ab familiae emtore heredem, sed tandem progredienti tempore seiunctas fuisse personas, ex veteribus iam THEOPHILVS in Paraphrasi Institutionum REIZIUS ad eum Tom. 1. p. 332, F. C. CONRADI de pacto fiduciae exerc. 1. §. 7. ac nuper Vir Celeberrimus WERNSDORFIVS singulari in commentatione egregie scripta defendendam susceperunt. Ac profecto argumenta ab his viris inprimis a WERNSDORFIO prolata tam egregia ac firma sunt, totaque opinio tam apta pristinae Romanorum simplicitati, vt nesciam quo quis modo in hoc scriptorum silentio possit Theophili auctoritatem, inprimis cum ea ipsius Iustiniani verbis quodammodo, quicquid contra dicat TREKEL, sustentetur, euertere. De tempore modo quo contrarius inualuit mos resque rota in lusum quendam ac imaginariam bonorum translationem degenerauit ratione familiae emto-

emtoris, sublegere quaedam WERNSDORFIO in hac breui quaestiuncula placet. Tempus scilicet non liquere, statuit ille, iniuriaque a BYNCKERSHOECKIO ad tempora Ciceronis rem referente CICERONI testimonium hac in re denuntiari *Oratione pro Milone c. 18*, vbi CICERO ait: *vna fui, testamentum simul obfignavi cum Clodio. Testamentum autem palam fecerat et illum heredem et me scripserat.* Nam non constare, num CICERO de testamento per aes et libram dixerit illo in loco. Potius ex voce *obfignare* contrarium colligi, de testamento scilicet cum praetorio vbi signis opus fuerit, dicere, neque inde argumentum quoddam duci posse, quod heredes in eo testamento testes adfuerint, cum omnino de heredum ad testimonium ferendum habilitate fluctuarint veteres Icti, ac diserta lege illos plane arcuerit tandem Iustinianus §. 10. *I. de testamentis ordinandis.* Sed circa tempora tamen CICERONIS vere sic ludere Romanos coepisse ex aliis etiam eius locis cognoscitur, argumentumque simul inde pro WERNSDORFII opinione deriuari potest. Scilicet intelligendum omnino est non hanc vnam, quam WERNSDORFIVS attingit, quod scilicet Romani deperditis hominum moribus metuerint, ne nuncio hereditatis futurae per mancipationem accepto in ipsam testatorum vitam grassarentur, possidendae potius quam expectandae hereditatis cupiditate ducti homines, sed hanc non fuisse vnam causam seiuungendae familiae emtoris ac heredis, in clausis tabulis scripti, cui aliquando restitueretur hereditas, personae, verum primam haud dubie ac praecipuam hanc, quo sacrorum continuandorum onere liberarentur heredes. Nam cum molestissima videretur sacrorum priuatorum administratio, molestaque adeo saepe ipsa hereditas, decrepitos senes, qui facile per breue tempus paruo lucro inuitati subirent illud onus, dicis causa eligebant ac constituebant familiae emtores, qui ex secreta lege post mortem aliquando testatorum stipulatione interposita tanquam res singulares per obligationem nexi debitas, hereditatem ad heredes scriptos transferrent, sicque ab heredum humeris in suos deuoluerent sacrorum onus, vti egregie probauit *F. C. Conradi de coemptionibus sacrorum interimentorum causa factis, in parergis p. 150.* Quod vero tales senes adhibiti fuerint iam Ciceronis aetate ex *Orat. pro Muraena*

C

c. 12.

v. 12. apparet: sacra interire maiores noluerunt. Istorum ingenio senes ad coemptiones faciendas interimendorum sacrorum causa reperti sunt. Hereditarum autem artibus Romam occupantibus eo magis frequentabatur hic testandi modus, accedente tunc et hac a Theophilo commemorata causa, quod sic ab hereditarum impetu facillime vitam suam defendere posse putarent. Sed et ipsum a BYNCKERSHOECKIO laudatum CICERONIS locum de testamento per aes et libram, quod diu adhuc Romae vel post editum praetoris viguit, non de testamento praetorio intelligendum existimauerim. Vox enim *obsignare* neminem turbare potest, quod quamuis non necessario frequenter tamen adhibita fuisse in testamentis ciuilibus signa, firmantibus id l. 23. π. *qui testam. fac. Quintiliano declam. 308.* et *Suetonio vita Tiberii c. 23.* adeo ut GRYPENIVS, quamuis falso erroris arguerit in *obs. de forma confic. acta obs. 2. §. 6. p. 126.* TRIBONIANVM, quod iuri praetorio signa tribuerit. Ac qui cogitet, quam religiosi fuerint Romani omni tempore in primis prima aetate in testimoniorum fide iudicanda, quamque diligenter propriae causae testes plane a testimonio arcerint, non facile sibi persuadebit, heredes testes, qui tamen in testamento Cyri aderant, statim admisisse Romanos in alio quo testamento, quam in illo per aes et libram condito, ubi ob lufum istum diuersasque familiae emtoris, cum quo contrahebatur omne negotium, ac heredis partes illos admittebant, praesertim cum ipse Iustinianus in §. 10. I. *de testamentis ordinandis* moneat se, quippe ex perturbato modo postea iure, confusoque testamento per aes et libram cum aliis testamentis haec admittendi interdum heredum testimonii licentia fluxerit, ad repetendum tandem firmandumque lege veterem morem adiecisse animum.








ULB Halle  
005 361 435

3










Q V A E S T I O N E S

EX

VARIO IVRE

2199  
1780, 20.



ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

CHRISTOPHORO FRIDERICO  
WOLLE

LEGVM AC PHILOSOPHIAE DOCTORE CONSISTORII  
LIPSIENSIS ELECTORALIS ADSESSORE  
CIVITATIS SENATORE,

DIE VII. NOVEMBRIS MDCCLXXX

H. L. C.

D E F E N D E T

FRIDERICVS GOTTLOB STEYER

KITZSCHERA-MISNICVS

I V R I V M C V L T O R

L I P S I A E

EX OFFICINA HERED. LANGENHEM. ET KLAUBERTHI

